

n. 2413 et huius corporis vol. VI n. 1854, qui titulus a Bovillanis videtur esse dedicatus Romae¹⁾). Ordo decurionum memoratur n. 2408. 2410. 2415. 2416 et huius corporis vol. VI n. 1854a et b. *Curator rei publicae* est n. 2409. 2410. *Comitia magistratum* memorantur n. 2410. Sacerdotes (praeter eos qui appellabantur *Albani*, de quibus vide infra), novimus regem sacerorum (n. 2413) et sacerdotem Apollinis (vol. VI n. 1854b). Nec defuerunt *Augustales* (n. 2408. 2416) sive *ordo Augustalium* (n. 2410; *Augustalitas* n. 2412). Recensetur oppidum, ut iam supra dictum est, in itinerario Peutingerano (unde adest item apud geographum Ravennatum), sed omittitur tam in Hierosolymitano p. 612 (ubi substituit ei ad milliarium nonum viae Appiae *mutatio ad Nonum*), quam in Antoniniano p. 107. — Nobis maxime memorabiles sunt Bovillae propter coniunctionem quae intercedere putabatur inter ipsas et urbem olim, ut ipsi Latini credebant, totius Latii caput Albam Longam. Nam non solum, ut reliqui populi Latii, ita Bovillani quoque originem suam derivabant ab Alba Longa (enumerati inter colonias Albanas a Diodoro lib. 7, ubi versio Armeniaca habet *Boilum*, et in Origine gentis Rom. c. 17) et una cum eis in monte Albano sacrificabant (Cic. pro Planc. 9, 23), sed ipsi dici voluerunt *Albani Longani* (*Albani Longani Bovillenses* n. 2405. 2406. 2409. 2411 et huius corporis vol. VI n. 1854), tamquam si essent posteri Albanorum illorum a Tullo Hostilio devictorum, quos tamen Romanum in montem Caelium translatos esse Romani certe scriptores voluerunt. Sacerdotes quoque suos videntur appellavisse Albanos, si quidem *virgo Vestalis Albana maxima*, quae memoratur n. 2410, cuius frater comitia magistratum Bovillarum ordinaverat et cui ipsi et fratri decuriones vel *Augustales* Bovillani honores decreverant, hoc sacerdotium habuit a Bovillanis. Sed fieri potest, ut tam virgines Vestales Albanae memoratae praeterea in titulo reperto in urbe Roma Corp. VI n. 2172, ubi *Verae virginis Vestali maxima arcis Albanae* a nescio quibus sacerdotibus honores habentur, et ab Asconio ad Cic. Milonianam p. 41 Bait. et a Symmacho ep. 9, 147. 148, quam reliqui sacerdotes appellati Albani, ut pontifices Albani (supra n. 2264). Corp. VI n. 2168, fortasse etiam ibi n. 2161; *pontifex Albanus minor* vol. IX n. 1595) et salii Albani (*salius Albanus idem mag. saliorum* vol. VI n. 2170 cf. 2171; *salius arcis Albanae* Orell. 2248) sacerdotes fuerint populi Romani; similiter ut sacerdotes populi Romani fuerunt *sacerdotes Cabenses* (supra n. 2228) et *sacerdotes Caeninenses*²⁾. Nulla enim re indicatur pontifices Albanos. et salios Albanos pertinuisse ad Bovillas — neque ullus eorum titulus ibi inventus est —, immo in titulis, quos citavi, sacerdotia illa interdum coniunguntur cum sacerdotiis minoribus populi Romani (vol. VI n. 2161) vel cum honoribus publicis ordinis potissimum equestris eis-

1) Sane possunt inscriptiones origine Bovillanae reperiri in urbe Roma, translateae eo vel medio aevo vel etiam postea sine originis testimonio; sed hanc constat effossam esse Romae in vinea aliqua.

2) *Dicator* quoque *Albanus* (huius corp. vol. VI n. 2161) sacerdos populi Romani fuerit, non magistratus Albanorum Bovillensium.

demque aequiperantur (cf. Wilmanns de sacerdotiorum populi Romani quodam genere p. 38. 54). Praeterea Vestales Albanae aetate certe labente, non aliter atque Vestales fori Romani, sub iurisdictione erant pontificum Romanorum, teste Symmacho; quamquam easdem habuisse Bovillis vel certe prope Bovillas colligi posse videtur ex eo quod narrat Asconius l. c., post Clodium Bovillis occisum ab inimico aliquo eius apud virgines Albanas vota soluta esse. Curaverunt igitur sacerdotes illi, si quid video, iussu populi Romani sacra ab Albanis deducta et appellata, recepta autem a populo Romano³⁾, non Romae, sed Vestales certe aut in urbe agro Albano finitima Bovillis, aut in ipso agro Albano loco aliquo a Bovillis non ita multum distante⁴⁾. Ceterum coniunctionem illam cum Alba Longa non solum ipsos Bovillanos sibi vindicavisse, sed idem sensisse Romanos etiam aliunde constat. Ex gentibus Romanis, quae originem ab Alba Longa repetebant, Iulii certe sacra gentilicia Bovillis facere solebant, teste inscriptione n. 2387 aetatis Sullanae vel fortasse etiam antiquioris. Anno p. C. 14, cum sacra gentis Iuliae facta sunt publica populi Romani institutis sodalibus Augystalibus, sacrarium gentis Iuliae cum simulacro divi Augusti Bovillis extrectum est (absolutum et dedicatum a. p. C. 16, teste Tacito ann. 2, 41), et instituti ludi circenses, editi ut puto quotannis ab ipsis sodalibus Augystalibus (Tac. ann. 2, 41: *sacrarium genti Iuliae effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur*, cf. 45, 23 *ludicrum circense Iuliae genti apud Bovillas*). Fastos quoque suos lapidi incisos sodales Augystales Bovillis proposuerunt, bipertitos eos, scilicet fastos magistrorum annuorum — fuerunt autem terni — et acta cooptationum ad singulas decurias collegii descripta. Horum fastorum exigua frustula quae prodierunt in ipsis Bovillarum ruderibus adjuncto n. 2390 nescio quo tempore adlati Romam infra vides n. 2388—2391 et n. 2392—2396, haec ex actis cooptationum, ex fastis magistrorum illa residua; ingentem tabulam, quae continebat decuriarum vicesimae septimae et vicesimae octavae cooptationes inde a quo tempore erant institutae usque ad saeculum p. C. tertium, semel tantum descriptam anno 1596 Romae in S. Petri, optime autem editam ab Henzeno huius corporis vol. VI n. 1984, hoc loco repetere nolui. — Inscriptionibus vere Bovillanis quas addidi sepulcrales vulgares n. 2418—2423 utpote eodem loco repertas, eae ad municipium Bovillarum vix pertinent; parique iure aliae non paucae Bovillanis addi possent, quae nunc eduntur inter Romanas sub indicatione ‘repertae in via Appia’, si constaret de millario eius viae ad quem steterunt.

3) Conferendi sunt Livius 4, 34 qui narrat diruta Alba Longa et Albanis Romanum translati exauditam esse vocem *ex summi cacuminis luce*, *ut patrio ritu sacra Albani facerent*; Cic. pro Mil. 34, 85: *vos, Albani tumuli atque luci..., vosque Albanorum obrutae arae, sacerorum populi Romani sociae et aequales*.

4) Nescimus ubi fuerit *arx Albana*, a qua et Vestales Albanae et salii appellari poterant (vol. VI n. 2172; Orelli n. 2248; cf. supra p. 216 not. 4).

2387 ara ex lapide Albano, formae vetustae (cf. Dressel *annali dell' inst.* 1879 p. 281). Rep. Bovillis fissionibus institutis a Poletto iussu Vincentii Colonna in un' angolo esterno della scena del teatro [cf. ad n. 2409], *incastrata fra il pavimento di grandi pietre* [loco igitur non suo] POLETTI. Deinde Romae in hortis Columnensium.

in fronte:

VEDIOVEI · PATREI
GENTEILES IVLIEI

in latere intuenti a dextra:

VEDI // LI AARA

in parte postica:

LEEGE · ALBANA · DICATA

Recognoverunt Henzen Mau Huelsen. Est huius corporis vol. I n. 807 et in tabula Ritscheliana LVI F. Poletti *Notizie del giorno 4 Iun.* (n. 22) 1826 (inde sine dubio *Gazzetta di Milano* 42 Iun. 1826 nobis non visa, ex qua repetivit Orelli n. 1287; ex hoc Canina *via Appia* 4 p. 209. 232); Gell *Rome and its vicinity* 4 (1834) p. 219; Cardinali *dipl.* n. 64; Nibby *analisi* 4 p. 312; Garrucci *syll.* n. 1142, qui dicit se contulisse.

4 PATREI vocabulum postmodum additum esse observavit Mau. — Inscriptionem lateris a prioribus omissam primus exceptit Henzen ap. Orellium add. vol. 3 p. 129, item apud Mommsenum huius corporis vol. I; idem nuper recognovit una cum Mauio et Huelsen. Hoc exemplum expressi omissionis aliorum temptaminibus. Initio fuisse. *Vediovei* certum est; sequitur fragmentum incertum, fortasse ex s (certa littera fuit rotunda), deinde vel perierunt litterae duae vel certe spatium vacuum eis sufficit; *aara* rursus certum est, licet prior A sit evanida. Priorem certe partem huius versus non casu periisse, sed rasura antiqua adfirmant Mau et Huelsen. Videtur igitur quadrarius erravisse, mox errorem sustulisse, deinde parvo spatio vacuo relicto perscripsisse id quod debuerat, *aara legee Albana dicata*. Noli coniungere *Vedioveis aara*. — In inscriptione posticae ALBAANA Orelli., errore suo.